

fuisse, excidium Thuringia à Fortunato descriptum T. 6. Bibl. Patr. par. 2. p. 401. alia ut omittamus ostendit.

XXIV. Ex quibus patet in Germania Ecclesias plures jam olim & quidem insignes fuisse; ipsosq; Apostolos & Apostolicos viros eas plantasse, & cum ceu Eusebius ex Egeippo loquitur Ecclesia cum temporis virgo fuerit, puritatem eandem etiam in Germaniæ Ecclesiis repertam fuisse; sicq; in Germania Apostolorum vocem, quam jam non nisi in scriptis habemus, per Apostolos Apostolicosq; viros sonuisse.

XXV. Placet huc adscribere quæ Aventinus diligens historicus l. 2. Annal. Bojorum. pag. 86. de prima Germanorum conversione refert: D. Paulus, ut ipse fatetur ab Hierosolymorum urbe exorsus, per circumjectas quoque versum regiones, longè lateq; usque ad Illyricum & Danubium amnem, cultoribus Deorum primus arma militiæ Christianæ intulit. Ejus commilito & cognatus Lucius Cyrenensis in Vindelicis & Rhetiis provinciisq; Hispano conterminis, Christianæ pietatis sementem fecit. Crescens in Galatiam, hoc est, Gallias Germaniasq;: Titus in Dalmatiam, ita D. Paulus narrat, profectus est: Thomam Germanis & Scythis predicasse testis est Sophronius. In actis Divorum & Pontificum Laureacensium scriptum lego, Divum Marcum quem D. Paulus collegam suum vocat, ejusq; mentionem & in Epistola ad Timotheum & Philemonem scripta facit, in Norico Laureaci Philosophiæ nostræ mysteria interpretatum esse.

XXVI. Plura de Ecclesiarum Germanicarum in Norico cum primis statu Idem p. 125. 136. 155. 175. 204. & seqq. profert, quæ hic recensere nimis longum foret. Et Cent. 1. Magdeburg. l. 2. c. 2. ex vitis Tungrensium Episcoporum, Henrico de Erphordia & aliis refertur: Crescentem Moguntia: Martinum Eucherium & Valerium Treveris & Colonia: (quorum iter prolixius Otto Frising. l. 3. c. 15. pag. 54. describit) Egistum unum de septuaginta Christi discipulis cum Mariano in Bardewick adfluvium Elmenavv non procul ab eo loco ubi nunc Luneburga sita est, Evangelium docuisse. Quomodo item hæc in Germania plantatæ Ecclesiæ ulteriora incrementa sumserint & ad posteritatem quoque propagatæ sint in iisdem Centu-

Centu-